DE OCULI DIGNITATE IN DIAGNOSI PLURIMARUM AFFECTIONUM...

Francesco Zamperini

DE

OCULI DIGNITATE

IN DIAGNOSI

PLURIMARUM AFFECTIONUM

INSTITUENDA

DISSERTATIO ACADEMICA

QUAM

IN VETUSTISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE PATAVINA

AD SUMMOS MEDICINAE HONORES

OBTINENDOS

PUBLICE LEGIT

FRANCISCUS ZAMPERINI

NOBILIACENSIS

Patavii

TYPIS SEMINARII

1839.

JOSEPHO · BOTTACINI

OPTIMO · PRVDENTI · VIRO

PRIMO · ANOALIS · POPVLARI · CVRIONI

PATRIAE · PERAMANTISSIMO

TOT · PRO · BENEFICIIS · OPPIDANIS · SUIS

CHARO

HOC

VELVTI · TENVE · GRATI · ANIMI · PIGNVS

IN · LAETISSIMA · LAVREAE · SVAE · DIE

DEVINCTISSIMVS · AUCTOR

D · D · D ·

Si qua est medicinae pars manca adhuc et imperfecta, inextricabilibus undecumque difficultatibus circumsepta, nec paucis carens erroribus, ea habenda profecto, annuente clarissimo Sthalio, quae sita est in rite praefinienda morborum natura. Aegrotantis enim pudor ac natura, vitae victusque ratio, idiosyncrasiae variae, caeli locorumque diversitas, et ob affectionis vim, aut animi pravitatem, impermissa, vel arte simulata narratio causarum, medicum quemque vel expertissimum decipere possunt, nisi ipse cautius progrediendo ad tutiora signa confugiat, quorum ope veluti ariadnaeo filo perductus, nativos aegrae naturae recessus pervadat, eamque loqui compellat.

Quae quidem signa non aliunde tam luculenter, tamque tuto quaerenda sunt et invenienda, quam in praeclarissimo illo humani corporis organo, quoad texturae artificium mirabi-

li, quoad usum nobilissimo, in oculo scilicet, frontis jubare atque ornamento, animi speculo, affectionum omnium indice ac Divinitatis imagine.

Oculus in cavo osseo confixus, membranis, crassitudine ac natura diversis, obtectus, irroratus humoribus, musculis circumvolutus, et ob nervorum copiam ac partitionem mirificam summa sentiendi facultate insignitus, non ideo certe tam variis partibus, tamque implicatis donatus e naturae manibus prodiit, ut easdem nova prorsus ratione in unum quoddam conjungens ad peculiares tantummodo vitae suae usus adhiberet; sed ut potius quasi alterum centrum constitueretur communionis cum reliquis partibus organismi, quibuscum arctissime communicaret.

Et re quidem vera communicat cum systemate osseo per orbitam, cum externa cute atque interna ope palpebrarum et conjunctivae, palpebras ipsas extimamque globi faciem vestientis cum glandulis ac folliculis, propter lacrymarum et sebi meibomiani perutiles fontes, cum textibus denique cellulosis, cum vasis, cum membranis serum gignentibus, cumque innumeris, ut alia praeteream, nervorum propaginibus; quare cerebrum ob opticum nervum, gangliosum systema, omniaque thoracis

et abdominis organa, ob ciliares, eandemque spinalem medullam, ob derivationem nervorum musculos pervadentium arctissimum in consensum trahit, et quoddam veluti in foedus adjungit.

Qua posita oculi cum universo corpore consensione ac vi, clare patet, ubi reconditos vitae processus alma salus attemperat, et oculum arridere atque exhilarari; cum vero pars aliqua vel systema quodlibet graviter morbis conflictatur, ipsum oculum pati necessario debere, et textus reliquos plus minusve infirmari perturbata ejusdem oculi oeconomia. Quapropter quot signa aegritudinum in ipso quasi picta conspici debent, quae phaenomena vulgo impenetrabilia, et in diagnosi morborum instituenda quam tuta judicia erui a medico possunt, qui accurate ac sedulo organum hocce intueatur?

A primo temporis puncto, quo miserae huic vitae oculos aperimus, ad extremas usque aetatis horas, quibus eosdem in somnum claudimus sempiternum, perpetua in ipsis phaenomenorum series observatur, quae varium corporis statum, mutationes, incommoda manifestant. Homo siquidem vix ac e sinu matris suae in lucem editur, ecquis nescit quam molesta ipsi sit temperiei insolentia, inopportuna

alimoniae indoles, aeris vicissitudines, res omnes uno verbo novae quibus, derepente expositus est? Verum licet summa sit ejusdem molestia, quo confugium habere, qua voce uti, quo opere auxilium poterit efflagitare, si pedes ad motum inepti, manus tardae ac imbecilles, et lingua loquelae adhuc inscia faucibus inutiliter haeret? Quae indicia malorum, queis divexatur, circumstantibus suppeditare, nisi effluant ipsi ex oculis lacrymae monumenta doloris? Hoc signo medicus tamquam a face perductus ad trutinam revocat ea omnia, quae infantem ambiunt, quaeque cum ipso rationem aliquam habent, et sic excreta ac retenta examinando, rerum externarum actionem perpendendo, aetatem et corpusculi mollitiem formamque considerando, ad detegendas progreditur causas morborum, qui cum gravissimo pueruli damno latitassent, nisi ipse lacrymarum vim ac, paene dixerim, philosophiam cognovisset.

Verumtamen non in ipso tantum vitae primordio, sed et ubi major fit aetas, et vox non amplius resonat indistincta, evolutaque membra motus facultate praepollent, haud iners est oculus. Insurgunt hydropes, anasarcae, omnes cujuscumque generis sint aquarum collectiones? In subtili ac pereleganti cellulari textu

palpebrarum initium sumunt. Accedit phthisis, aliarumque partium aquosi languores? In earumdem turgescentium palpebrarum livore manifestantur. Habetur icterus, gravidarum ephelides, denegatio aut accessio menstruorum? In palpebris atque conjunctiva globi exorditur flavedo, et maculae impetiginosae in ipsis luculentius apparent, quarum infima in parte duas illas nigrescentes lineas deprendis, quae vel praevia signa sunt menstrui, vel ejusdem retentionem ostendunt, quaeque aut productas litteratorum vigilias, et enervatae juventutis licentiam ac vitia testantur. Coacervata vermium intestinorum mala progenies non amplius succis et humoribus nostris enutrita desaevit inter viscera, latentes clades subdole elaborando, quin exterius appareant infestissimae ejus macchinationes et insidiae in abnormi pupillae dilatatione enunciatae. Frustra meretricius leno, aut perjura pellex vultu immutato ac fallacibus verbis ea obumbrare conantur dedecora ac damna, quae in contaminatis inverecundae Veneris tabernaculis mutuati sunt, dum ipsa propriis notis distincta, absque ullo decipiendi periculo, in oculo patent. Quod si legum severitatem vitare, justitiae inquisitionibus et curis illudere, magistratuum vigilantiam atque auctoritatem audet

aspernari, qui aut obstupefacientium ope, aut nudato ferro alicui vitam ademit, non acerrimo profecto illius medici judicio subtrahere se poterit, qui pupillam ipsam plus aequo dilatatam, vel corneae pelluciditatem aspiciens, ex eo signa deducit, quibus vel de morte inopina, vel de propinato veneno suspicandum esse decernit.

Verum haec utpote argumentum nostrum propius non respicientia, jurídicae medicinae demandanda esse putamus, licet eo melius probetur congeries illa phaenomenorum paene infinita, quae in ceteris humani corporis partibus, aut latentia, aut imperfecte se se manifestantia in oculo clare aperteque elucescunt. Hordeolus enim gastricas persaepe affectiones, vel habitualium fluxuum deficientiam, entropium senilem debilitatem ac languorem, glandulae lacrymalis inflammatio inopinam refrigerationem, scrophulosa ulcera retropulsa, herpetis ceterarumque impetiginum suppressionem, conjunctivitis, rheumatum, morbilli, variolarum aliorumque exanthematum in ipsa exercitam vim, madarosis summam plerumque virium jacturam ac systematum infirmitatem, atrophia globi totius corporis maciem, corneae tabes, abscessus iridis blenorrhoicae materiei translationem ut plurimum notant. Mydriasis hydrocephali, amauro-

sis ipsius persaepe symptoma est, et de viscerum abdominalium vitiis, de uteri, lienis, ventriculi hepatisque affectionibus, de hystericis turbis, de hypochondriasi, de humorum denique amissione, et pathematum vehementia fidem facit.

Ecquis vero esse potest convulsionum accessus vel improvisus, quae nova perturbatio organismi, qui interni tremores oculorum indicio carentes? Anne tetanus, raphania, cordis palpitationes praegrandes, epilepsia et aliae hujuscemodi concussiones nervorum?. Satis est, opinor, epilepticum quemlibet, aut quocumque alio simili morbo detentum perspicere, ut certiores esse possimus, morbum hunc in oculo primo proludere, mox vero alibi evolvi, multigenis sese prodentibus hujusce organi motibus, ita ut modo sursum vertatur, modo deorsum, modo latera petat, modo agatur in orbe, summa cum spectantium admiratione ac terrore. Imminentem indicant soporem aut delirium palpebrae spasmis insultantibus clausae, inferionis prolapsus apoplexiam, phreneticas turbas, insolita alacritas et splendor oculorum; qui quidem oculi inflammati prostant atque rubicundi in hypersthenicis cerebri affectionibus, macescunt contra et languent in imminuta vitalitatis facultate: duplicantur confuse, mutanturque

res omnes, quae sub sensu cadunt, et rubet summopere in plethoricis lacrymalis caruncula, in leucophlegmaticis pallida et emuncta observatur, atque ubi scorbutica labes depravationem sanguinis ac humorum omnium dissolutionem induxerit, in oculis, dato quasi signo, protenditur.

Verum si ex hucusque dictis evincitur, summam esse et oculi omnino propriam cum ceteris organismi textibus communionem consensionemque, ita ut ipsius aegritudine qualibet divexatis, organon quoque visus eamdem affectionem participet, ipso ferme pacto usuvenire existimandum est, ut cum oculus graviter malis detineatur, ad alia peraeque corporis loca perturbationes quasdam, et morbi, quo angitur, particulam veluti radium e centro debeat afferre. Quae quidem assertio non plurimis eget rationum momentis, ut verax et firma habeatur.

Verumtamen satis est pro omnibus unum adducere, ne fortasse cuilibet videar in hoc argumenta hinc inde perquirere, utpote quae longam orationem, et exquisitae defensionis artificia expostularent. Hemicraniae, vertigines, cephaleae, accessus ipsi apoplectici, illuminationes, spectra, ocularia phantasmata delirantibus familiarissima, nec non encephalitis, ty-

phus, et quotquot sunt affectiones febriles, quarum quoquomodo particeps encephalus fit in amaurosi, de mutuo cerebri in oculum, et oculi in cerebrum ipsum imperio ac influxu sat clare evidenterque testantur, ne alias consensionis vias enumerando longius progrediar, quam orationis genus expostulat, et humanitas auditorum. Quamquam ubinam relinquo ceteras alias spiritus affectiones animique pathemata, in oculo agmine veluti facto collecta, ibique diversimode expressa ac explanata, quin ea breviter saltem, et quasi praeteriens attingam?

Si oculus, ex romani oratoris testimonio, janua est animorum, et fidissima cordis specula,

Ove il suo maggior seggio amor ripose,

et si, juxta spectatissimum Zimmermann, ejusmodi dari possunt morborum genera, qui non pharmacorum praesidiis ante paratis, sed verbis potius, et alius medicinae ope sanantur, quam facile est ex oculo, tamquam e limine motus intimos considerando, genuinam causam dignoscere ac tollere, quamobrem aut nova Cydippe inconsolabili oppressa tristitia macie tabescit, aut altera Dido desperata inter flammas sese furialiter projicit! Quo facilius a plicato supercilio terrorem, cogitandi vim ac odium perspicere, ceterosque animi motus intelligere, sive aliquis perfidissimus moliatur

machinationes dolosus, sive innocentem premat malignus, seu fulguret indignatus! Eximium inspectas sculpturae opus, aut illustria facta virorum? Oculus modo ad invidiam componitur, modo admiratione percellitur. Cernis instantem hostem? Metu contrahitur; occurrentem amicum? Laetitia exhilaratur; cumque ipse quoad motus facultatem celer summopere sit et vagus, alii vero sensus lenti et segnes, cum exterius immensam fere superficiem ac extensionem amplectatur, ii vero angustiori in sphaera coarctentur, omnes ab eodem dependentes, omnes ejus imperio accommodati, efficitur, ut ille ceterorum organorum dux et veluti praeses loquatur, audiat, odoretur, degustet, tangat, annuat, renuat, aspernetur, et nunc suavis ac languidus amoris pignora exposcat, nunc distortus ac ferox in arma exardescat, et modo stuporem praeseferat immobilis, modo perturbationes instabilis, modo tristitiam solutus in lacrymas, et severitatem Catonis, et mollitiem Epicuri, et Platonis superbiam, et Caesaris virtutem, et impudentiam Bathylli, et Penelopis castimoniam ac pudorem ostendat.

Quemadmodum vero si quis rei herbariae plane ignarus hortum ingrediatur fruticibus, floribus, plantis cujuscumque indolis refertissi-

mum, impar est dignoscendo, quae exoticae sint, quae indigenae, quae ad pulcritudinem et ornatum, quaeque ad pharmacologicum vel diaeteticum usum pertineant, extimam tantum ipsarum formam et corticem contemplatus; ita eadem ferme ratione contingit, ut cum aliquis scientiarum lumine destitutus, et necessariis medicae artis studiis imperitus, in oculi inspectione versatur; nesciat quid naturale sit, quid morbosum, quid causam aegritudinis, quidve effectum constituat, illi profecto similis, qui ab ortu videndi facultate carens in colorum contemplatione detineretur.

Jam si anatome, ut Portalii verbis utar, fax est et quasi lucerna medicinae, qui fieri poterit, ut aliquis in variis corporis partibus evoluta phaenomena intelligat, ubi earumdem partium structuram, situm, ordinem, nexum ignorat? Quomodo oculi protrusionem, turgorem, photophobiam explicare in encephalitide, in quibusdam affectionibus invitas lacrymas, in aliis irritationes quamplurimas, et ad globum metastases, nisi praeter vasorum propagines, distributionem nervorum, membranarum continuationem, eorumdem textuum naturam intimam, indolem, proprietates, vitalitatis leges, gradus ejusque morbosas mutationes physiologiae ope et pathologicis disciplinis percipiat?

Porro ipse studiis neglectis, sublatis ejusmodi rerum investigandarum adminiculis, universum corruere debet rationalis medicinae aedificium, ejus fundamenta subverti, philosophiae jura a superstitione occupari, summa ingeniorum molimina a petulantia opprimi, errori veritas, ignorantiae scientia locum dare, omnia demum misceri, obtenebrari, et super altas eversi ratiocinii ruinas procax extolli empirismus.

Ast nostris accuratius temporibus haec studia coluntur, sanae vigent disciplinae, nec impune per urbes, per oppida, per agros, illa invisa illudentium circulatorum progenies grassatur, quae olim nullo theoretices fundamento, innata quasi impudentia et procacitate suffulta, omnem in medicina illationis, analogiae, argumentandi vim atque usum condemnabat, quaeque oculum veluti organum habens a ceteris segregatum, ejusdem cum aliis ignorans affinitatem, confuse et inscienter specifica efformabat, eadem tamquam secreta ac monstruosa remedia venditans, credulitatem et superstitionem in maximum totius Reipublicae promovens atque adeo Religionis detrimentum. Sed tandem probro hoc medicinae allato, omnino infensissima hac insipientium caterva exterminata, e scholis illustrium virorum jam exierunt, qui purae doctrinae copia

et ingenii sagacitate Italiam nostram collustrarunt, exierunt inquam manus electae rite institutae juventutis, quae virtutis amore non quaestus lubidine, graviter ac decore, non humiliter ac petulanter, aegrotantium lectulo assidentes, oculum in diagnosi morborum instituenda tamquam ducem contemplati sunt, et sic juxta variam ejusdem cum reliquo corpore consensionis vim, rationalem curae methodum stabiliendo ac moderando, suis prosunt, patriam honorant, imperitos pudore suffundunt; quorum nomina aeterna erunt in historia medicinae monumenta.

Ast ne vestra, Auditores humanissimi, abutar patientia, orationi meae finem faciam.

420

THESES DEFENDENDAE

I.

Maximus oculi cum reliquis organismi partibus communio atque consensus.

II.

In quamplurimis corporis animique affectionibus oculus commutatur.

III.

Oculi aliorumque textuum aegritudines, absque anatome, physiologia ac pathologicis disciplinis, nec rite dignosci possunt, nec tuto curari.

IV.

Felices morborum exitus non semper medicamentorum in usum deductorum selectum comprobant.

V.

Deprimentia debilitantia remedia non raro meliora componunt antispasmodica.

VI.

Non raro etiam venae sectio, princeps est diaphoreticum.

VII.

In medicina clinica rite exercenda genuinae sunt inquirendae indicationes, minime vero remedia excogitanda.

VIII.

In inflammatione lienis eadem occurrunt in sinistro hypochondrio phaenomena, ac in inflammatione hepatis in dextero, ideoque diagnosis, prognosis, cura eadem.

IX.

In confirmatae phthiseos stadio ad colliquativum properantis cura tantummodo symptomatica adhibeatur oportet.

X.

Acetas morphinae leniens in desperatis affectionibus inflammatoriis pulmonum medicamentum.